

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptuarium allegoriarum sacrarum praecipua fidei christianae capita illustrantium: indice quadruplici instructum post editiones 5 revisum, iam septimo recusum

Botsack, Johann

Francofurti ad Moenum, 1678


Caput XXVI. De inferno

[urn:nbn:de:bsz:31-142795](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-142795)

Joh. 15. v. 14. 15. Erimus reulcitati amici, Joh. 11. v. 11. Confer. Luc. 12. v. 4. Imò fratres fecit: Ascendit enim ad patrem suum & patrem nostrum, Joh. 20. vers. 19. Communis paternitas, communis fraternitas. Non loquetur per ænigmata & figuras: Ipse enim Deus lux erit omnia illuminans, cum erit in omnibus omnia, Apoc. 21. v. 23. Esa. 60. v. 19.

DEI REVELATIO.

1795. *Jacobus in Mesopotamiam ad Labanum itineris servitium, in visione Deum videbat, ad cacumen scalæ stantem, Gen. 28. 13. Reversus in patriam Deum de facie ad faciem vidit, Gen. 32. v. 30. quapropter in hæc verba prorupit: VIDI DEUM DE FACIE, ET SALVA FACTA EST ANIMA MEA. In hac mundi Mesopotamia, SANCTISSIME JESU, servire cogimur mundi vanitatibus & carnis illecebris, præter nutum nostrum, Rom. 7. v. ult. Te videmus in visione scalæ ministerii & sacramentorum: Fac ut in spiritali nostra Ecclesiæ Bethel te puro corde semper invocemus, ut in cœlestem patriam reversi, salvificam faciem tuam intueamur, ingememusque: VIDEMUS DOMINUM, anima nostra salva facta est! AMEN ita fiat, O JESU, AMEN!*



CAPUT XXVI.

DE INFERNO.

INFERNUS EST MARE SALSUM
& mortuum.

1796. Infernus est mare salsum & mortuum:

1. *Mutatione:* Ut enim mare salsum factum est
ex

ex loco, in quo olim civitates Sodoma & Gomorra
sitæ fuerunt, Gen. 14. v. 3. Gen. 19. Ita ex mundo tan-
quam spiritali Sodoma infernus fiet, hoc est, damna-
torum multitudo.

2. *Generatione*: Mare salsum, nihil nisi bitumen
gignit, quod idè historici asphaltiten lacum dicere
maluerunt: ita infernus nihil nisi picem & flammam
protuberat, futuras seræ impietatis vindices, Apoc.
19. v. 20. cap. 20. v. 10. cap. 21. v. 8.

3. *Perpetuâ fumatione*: Testantur enim historici
mare salsum perpetuè fumos & vapores emittere: Sic
inferni fumus perpetuè evaporabit, Apoc. 14. vers. 11.
cap. 19. v. 20.

4. *Pestiferâ lesione*. Fumus enim & vapor ex mari
salso ascendens, vicina quæque lædere & depopulari
dicitur: ita infernus consumet sibi commissos.

5. *Salsedine*: ita in inferno nullæ aquæ refrigerii,
mera salsedo est. Has aquas salvas epulo bibere non
poterat, quapropter alias petebat, Luc. 16. v. 24.

6. *Mortificatione*. Omnia enim animalia injecta
hoc mare statim lethali vapore enecat: ita in inferno
mors animæ & corporis regnat. Esa. 66. v. ult. *vermis
eorum non exstinguetur.*

INFERNUS CUM GEHENNA

comparatur, ex Matth. 5. v. 22.

1797. *Ob combustionem infantum*. In gehenna in-
fantes Molocho consecrati impii sunt, qui se non
Deo, sed Satanæ devoverunt, contra monitum Apo-
stoli, Rom. 12. v. 1. seq. Hi in inferno comburentur
igni inextinguibili, Matth. 3. v. 12.

2. *Tympanizationem*. Mystæ enim Molochi tym-
pana pulsabant, in signum devotæ lætitiæ, & ne soni-
tus clamantium audiretur: ita in perditione damna-
torum gaudet Satanæ, gaudebit.

Fff 5

3. Sor-

3. *Sordium receptionem*. Josias enim vallem hanc destruxit, 2.Reg.23. vers.19. Ita Christus verus Josias infernum destruxit morte suâ, Ose.13. v.14. In hunc peccatum detruisit.

IN INFERNO LUXUS ET GAU-
dium finiuntur.

1798. Esa.14.v.11. *Fastus tuus in infernum deducitur nabliorum tuorum; substernitur tibi lumbricus, & obtegit te vermis*. Sors impiorum in inferno tribus describitur membris:

1. *Fastus deductio*: Sic epulonis fastus luxusque in infernum deductus est, Luc.16.v.24. Hoc est illud *Væ*, quod divitibus mundi imprecatus est Dominus, Luc.6.vers.24.25. Conf. Psal.49.vers.13. & 18.1.Sam.2.v.9.

2. *Nabliorum cessatio*, hoc omnium eorum, quæ ad mundum.

3. *Vermium substratio*. Vide Esa.66.v.ult.

IMPII UT OVES IN
inferno.

1799. Oves ad lanienam pertractæ, nullis armis lanium arcere, nullâ vi ei reluctari possunt: ita impii in inferno sentient lanienam corporis & animæ horribilissimam, cui se subjicere patienter necessum habebunt, Psal.49.v.15. Mors depascet eos, qui enutrientur corda sicut in die occisionis, Jacob.5.v.5. Depascet eos mors, ita tamen, ut nunquam desinat, sicut Salamandra igni non depascitur, & asbestos lapis semel accensus nunquam potest extinguï.

POENÆ INFERNALES
internæ.

1800. *In caminum mittentur impii, ubi ut lolium comburentur*, Matth.13.vers.30. Propriæ conscientiæ ille

ille caminus est, quia excruciantur, foris igni infernali æstuante, Matth. 13. v. 42. & 59. Intus conscientia urente.

INFERNUS EX PICE

& sulphure.

1801. Esa. 34. v. 9. *Terra eorum convertetur in sulphur & picem.* Terra hæc mundus est, quæ impiis in sulphur & picem convertetur; pro eo, quod mundum magis, quàm Deum dilexerunt.

IN INFERNO NULLUM EST

solatium.

1802. *Nihil virens in Ægypto relictum est, adeò cuncta depopulata erant insecta,* Exod. 10. v. 15. ita in inferno nulla erit consolatio, Luc. 16. exemplo epulonis: in cælo autem prata sunt virentia, quæ piis hinc fuerunt inchoativè, Psal. 23. v. 2. completivè, Apoc. 7. v. 15. Impiorum itaque viror hujus solùm vitæ fuit, Psal. 37. brevi emarcebit. Pii autem virebunt, eorumquæ flos non marcescet.

TENEBRÆ INFERNI.

1803. *Tenebræ obruebant Ægyptios, Israelitas detinentes in servitio, his tamen luce fruentibus in omnibus habitaculis,* Exod. 10. v. 22. 28. Sap. 16. v. 10. Ita mundum impium, cujus vanitatibus etiam pii servire cogiti sunt, tenebræ infernales obruent, Psal. 49. v. 20. 2. Petr. 2. v. 17. Matth. 22. v. 13. luce nihilominus manente apud veros Israelitas, de qua Esa. 60.

INFERNUS EST CARCER,

Matth. 5. v. 25. seq.

1804. 1. *Ob tenebras,* de his titulo præc.

2. *Ob custodes.* Olim custodem vinciti, vincitumque ipsum unâ eâdemque catenâ ligabant: unde Petrus inter duos milites asservatus in carcere legitur, Act.

12. ita

12. ita Diaboli custodes erunt malorum, iisdem catenis ligatorum.

3. *Ob vincula & catenas.* Incarcerati vinculis & catenis constringuntur. Ea non deficiunt in inferno, erunt ibi æneæ catenæ, quemadmodum Philistæi Simonem talibus ligârunt, Jud. 16. v. 11. Zidekia captivus abductus catenis ligatus est, 2. Reg. 25. v. 7. & Jojakim, 2. Chron. 36. v. 6. ita impij in inferno trahuntur catenis, ut captivi & Satanæ perpetua mancipia; ut Ægyptii, qui tenebrarum catenis capti fuerunt, Sap. 17. v. 18. Conf. 2. Petr. 2. v. 4. Vincula inferni circumdabunt impios, Psal. 18. Conf. Matth. 22. v. 13.

4. *Ob tortorẽ & torturam,* Matth. 5. *Tardet te tortori.* Hanc torturam epulo expertus est, Luc. 16. v. 24. 25. & experientur impii omnes, 2. Petr. 2. vers. 9. Tortura hæc erit in sarcasticis Diabolorum illusionibus, animæ ineffabilibus doloribus, corporis cruciatibus, venenatis infernalium scorpionum ictibus, Apoc. 9. 5. (Scorpionum generi cuidam dens in cauda est. Autor Plinius, tom. I. p. 560. Talis scorpio Diabolus, primo blandiens, deinde dente pungens.) Apoc. 14. II. Sap. 11. v. 10. Apoc. 20. v. 10. Non ibi tortor, sed tortores erunt, Matth. 18. v. 34. Diabolus, conscientia, sagittæ Diaboli.

5. *Ob supplicium.* Captivi tandem ad supplicium protrahuntur: ita impii Satanæ captivi, 2. Timoth. 2. v. ult. ad supplicium in inferno protrahentur. Hoc est supplicium peccatoribus præfractis constitutum, Sap. 19. v. 4. Epist. Jud. v. 4. ejus in Ægyptiis suffocatis præludium, Exod. 12. v. 12.

6. *Ob conscientia internam flagellationem,* quæ similitudine vermis non morientis adumbratur, Es. 66. v. 24. declaratur, Apoc. 6. v. 16.

IN-

INFERNUS ERIT CAVEA

impiorum.

1805. Ezech.19. v.9. *Miserunt eum in caveam, in catenis adduxerunt eum ad regem Babel, miseruntq; eum in carcerem, ne audiretur ultra vox ejus super montes Israel.* Infernus est cavea, in quam impii mittuntur, in catenis peccatorum, quorum in judicio convicti, Matth.25. adducentur ad regem Babel, hoc est, Diabolum, qui est rex hujus mundi Babel, mittentur in carcerem, de quo Tit. præc. nec vox eorum super montes audietur, quia sub montibus tegi petent, Apocal.6.v.16.

POENÆ INFERNI SULPHURI

comparantur.

1806. Ita sæpe in Apocalypsi. Qui enim salutarem doctrinæ cœlestis pluviam spreverunt, ii meritò pluviam iræ Dei sentiunt, ut Sodomitæ, Genes.19. v.24. Sulphur omnia consumet, Deut.29. v.23. Ita pœna inferni omnes, pactum Dei transgredientes, consumet; causam aliam nullam quæras. Vid. d.l. Deuter. v.25. Ita verò consumet, ut illa cordis terra nunquam feratur; neque enim verbum Dei locum ibi prædicandi habebit, Luc.16.v.28. neque crescat, cum tempus messis præterlapsum sit: neque germen oriatur, ob inferni æstum, ut v.23. d. l. innuitur. In inferno impiorum tabernacula sulphure conspergentur, in judicium periculi præsentissimi, & inevitabilis sterilitatis quoq; & detestationis, sicut ædos maleficiorum, sulphure conspergi more receptum est. Conf. Es.34.v.9. Sulphur hoc, ministri Diaboli, hoc est, angeli ejus suppeditabunt, ut Dan.3.v.46. Ejus typum rei ex Apoc. 9.v.17.18. arcessere licet; Hoc sulphure torquebuntur impii, Apoc.14.10. & ne quid ad dolorem desit, coram

coram angelis, quos offenderunt; agno, quem spreverunt. Sulphur hoc est ardens inflammatumque, Apoc. 19. v. 20. igni divini furoris, Deut. 4. 24. cap. 32. v. 2. & propriæ conscientiæ, quæ cauteriata, 1. Tim. 4. vers. 2. vermiculata, Esa. 66. v. 24. & quidem nocte & die, vel à seculo in seculum, Apoc. 20. v. 10. ut secundæ mortis dolorem, Apoc. 21. v. 8. experiantur, qui resurrectionem spiritualem aspernati fuerant. Sulphur etiam aquis ferventibus accenditur, autore Plinio; Aqua fervens est ira Dei, quæ sulphur inferni accendet, Deut. 32. v. 22. Ipsa fulmina fulgurque; sulphuris odorem habent; ita Dei fulmen & fulgur est, quam in inferno experiantur damnati. Hoc sulphur accensum, quisquis videt, vel per tentationis confuscationem levem, pallorem vultus induit, toto corde exhorrescit; Narrat hoc de sulphure accenso Plinius; consule.

DIABOLUS EST EXACTOR.

1807. Luc. 12. v. 58. Satan ille exactor est, cui tandem, ludificantes Dei longanimitatem extremâ lineâ impii traduntur; ille verè exactor est:

1. *Ob captivacionem*: Impios enim in inferno ponet, quos in laqueis rerum terrenarum cepit, 2. Tim. 2. v. ult.

2. *Ob coactionem*: Diabolus impios in inferno ad quævis servitia & malacoget; ita Josephus coactus, Psal. 105. v. 18.

3. *Ob servitutem*: Malis servis compedes debentur: impii, mali Dei servi, catenis Satanae tradentur. Confer. Sirach. 33. v. 27.

4. *Ob sortis mutabilitatem*. Impiis in hoc mundo volupe fuit, in vincula detrudere integros, Sap. 2. v. 19. Sors illa mutabitur: Pii liberabuntur, solatio reficiuntur, Luc. 16. impii captivi Satanae erunt, torquebuntur in loco, ubi meræ tenebræ, Hiob. 10. v. 22.

5. *Ob*

5. *Ob vocis emphaticam significationem.* Παύτος enim exactorem & quæstorem significat. Talis & Satanas, debitum peccati exigens, quod homo nunquam solvere potest. Ultorem significat; ultionem Dei, 2. Theff. 1. v. 8. Satanas in impios exercebit.

INFERNUS EST CAMINUS

ignis.

1808. Matth. 13. v. 42. 1. *Ob ignem iræ divinae*, Deut. 32. v. 22. qui ibi ardebit, Jerem. 21. v. 12. ignis æternus, Matt. 25. v. 41. inextinguibilis, Marc. 9. v. 44. 2. Theff. 1. v. 8.

2. *Ob foci curatores Diabolos*, Dan. 3. v. 20. Confer. all. qui exsequentur æstum iræ divinæ igneum, Hebr. 10. v. 27. Conf. Psal. 21. v. 10. ibi erunt animalia igneas flammæ exspuentia, Sap. 11. v. 19.

3. *Ob materiam ignis*, quæ erit arborum infrugiferarum cohors, Matth. 3. v. 10.

INFERNUS EST STAGNUM.

1809. Apoc. 21. v. 8. Hoc teterrimos emittit vapores; & velut igni divini furoris injecto æstuans, hinc fumum tormentorum Johannes ascendentem vidit, Apoc. 14. v. 11. & quidem in perpetuum, Apocal. 19. v. 3. Hunc fumum mons Sinai flammans significavit, Exod. 19. v. 18. & terra illa fumans, Sap. 10. vers. 6. Præmonuit ipse Dominus, ut hoc stagnum fumans caveremus, Deut. 29. v. 20. *Dominus non ignoscet præfrafto peccatori; sed tunc quàm maxime furor ejus fumabit, & zelus contra hominem illum, & sedebunt super illum omnia maledicta.*

IMPII IN INFERNUM

detrudi.

1810. *Josias præcepit sacerdotibus & janitoribus, ut è templo projicerent omnia vasa facta Baalo & universa*

versa militiæ cæli, & comburerent ea foris Jerusalem, 2. Reg. 23. v. 4. seq. Christus verus Josias in ultimo judicio piis, tanquam sacerdotibus & janitoribus spiritualibus, 1. Petr. 2. v. 3. Psal. 84. v. 11. præcipiet, ut in impios judicium exerceant, qui vasa infernalis Baal fuerunt, hoc est, vasa iræ, suâ ipsorum culpâ ad interitum aptata, Rom. 9. eaque foris, cœlestemq; extra Jerusalem comburant. Foris enim sunt canes, Apoc. 22. v. 15. Foris sunt gentes, quas (impios) extrudet Dominus ex cœlestis patriæ finibus. Confer. Alleg. Deut. 9. v. 4. Matth. 8. v. 12. Homicidam extra asylum vagantem ultor sanguinis occidebat, Numer. 35. v. 27. Impii homicidæ omnes, extra asylum cœlum constituti, Diaboli, ultoris sanguinum, hoc est, peccatorum gravissimorum, iram vindictamque experientur.

IN INFERNO FLUVIUS
sulphureus.

1811. Esa. 30. v. 33. *Præparata est ab heri fovea, etiam regi præparata profunda, dilatata. Nutrimenta ejus ignis & ligna multa: Domini flatus succendet ea, velut sulphuris torrentem.*

1. Fovea illa infernus est, in quam cadent impii, quamq; suis ipsorum peccatis effoderunt.

2. Hæc fovea præparata est ab heri, h. e. multò ante. Ignis enim inferni, Diabolo & angelis ejus, paratus est, Matth. 25. v. 41. etiam regi, qui est Diabolus, rex ille mundi & impiorum, in quibus efficax est, Ephes. 2. v. 2. hinc princeps mundi, mundi imperium sibi vendicat, Matth. 4. v. 9.

3. Hæc fovea profunda est, quia est abyssus, Apoc. 19. vers. 20. cap. 20. v. 3. Prov. 14. vers. 11. ex qua nemo liberatur. Fovea hæc dilatata est; expandit enim fauces suas infernus, Esa. 5. 14. Ignis ira Domini inextinguibili.

guibilibus, ligna impii, ut palmites inutiles, Joh. 15. v. 3. Ezech. 15. v. 5. ut arbores infrugiferae, Matth. 3. v. 10. Flatus Domini iram significat, hanc inferni materiem, velut torrentem sulphureum accendentem. De sulphure, Tit. 1.

IN INFERNO ARDORES sempiterni.

1812. Esa. 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* v. 14. Ignis ille devorans inferni est, non devorans, nullo pacto satiabilis, Prov. 27. vers. 20. Ardoribus ibi sempiterni sunt, in sempiternum erit furor, Apoc. 19. v. 3. Nemo habitare potest cum hoc igne sempiterno & perditione aeterna. 2. Theff. 1. v. 8. 9. Apoc. 20. v. 10. Dan. 12. v. 2. Ibi erunt prunae, non quibus calefiant, quia plenè excruciantur; nec focus, ut affideant, quia planè in eo jacebunt, ut oves, Psal. 49. v. 15. mortem fugientem expetentes, Apoc. 9. v. 6. exemplò epulonis, Luc. 16. v. 23.

IGNIS ET VERMES.

1813. Syrach. 7. v. 19. *Vindicta impiorum est ignis & vermes.* Ignis iram Dei, furorem Satanæ significat: Vermes conscientiae flagella furiasque, uterque vindictam Domini exequetur, cujus sola est vindicta, Deut. 32. v. 35. quam in mundi Babylone conspicuam faciet, allegoricè ex Jerem. 50. v. 28. eritque hæc vindicta & Dei, quem contumeliâ affecerunt impii, & templi, hoc est, piorum, quos spreverunt mali, omnibus modis destruxerunt, tanquam templa Dei, Sap. 5. v. 1. Communis erat poena Aegyptiorum, tam Domino, quam servo, communis Dei vindicta: Sap. 18. v. 11. Communis erit Domini Satanæ & servorum impiorum poena, qui in camino projicientur, cujus magister Satanæ,

Ggg

Matt.

Matth. 13. ψ . 50. cap. 25. ψ . 41. qui pios in hac vita in camino mundi vexavit, materiam tentationum suppeditavit; Ille verò cum iisdem flammis subjiçitur, ut quondam viris contigit illis, qui focum luculentum trigæ confessorum curaverant, Dan. 3. v. 22. iisdem tamen flammis fornacis comburebantur. Eadem fors Satanæ obtinget: Pii verò liberati exiunt è mundi camino, pectora eorum gaudebunt, ut Sadrach, Mefach & Abednego.

Æternos Domini decantatura triumphos.

Hæc est illa vindicta, de qua 2. Theff. 1. ψ . 8. spiritualis Edomi vindicta, alleg. Ezech. 25. ψ . 12. impenitentis scilicet mundi Esavi profanum ingenium, Hebr. 12. vers. 16. exprimentis, peccato non remisso rubentis (quod aliàs rubere dicitur, Esa. 2. ψ . 18.) & sanguine iustorum.

INFERNUS TORCULAR.

1814. Apoc. 19. ψ . 15. *CHRISTUS calcat torcular vini furoris iræ omnipotentis Dei.*

1. *Infernus est demum torcular illud*, ob cruciatuum copiam. Omnis generis affluentia hac voce in S. literis describitur, Num. 18. & alibi: in inferni torculari omnium dolorum copia. De impiis narrat Jobus, quod sibi subjectos cogant calcare torcularia, nec tamen iisdem potum præbeant. Impiorum pater Satanæ est, qui inferni torcular calcare coget omnes impios, ne tamen potum ullum suppeditare poterit: abi ad Epulonem, qui fidem faciet, ideoque petiit aquam ab Abrahamo Luc. 16. v. 24.

2. *Torcular vini est infernus*, non lætificantis, quia ibi cruciatus, Apoc. 14. vers. 11. stridor dentium & fletus, Matth. 13. ψ . 42. sed furorem procreantis. Hoc est vinum iræ ferventissimæ, cujus calicem propinabit iustus

justus iudex, qui calicem salutarem spreverunt in hac vita, Hoc erit vinum fœculentum, Psal. 75. v. 9. calix vinifuroris, Jer. 25. v. 15. Hoc merito bibent impii, qui vinum spiritualis fornicationis biberunt, Apoc. 14. v. 8. vel Draconum pro vino habuerunt, Deut. 32. v. 33. vinum iniquitatis biberunt, Prov. 4. v. 17. cum aqua impietatis miscuerunt, Esa. 1. v. 22. *Arcadicum vinum rabiem importat* teste Plin. lib. 14. c. 18. ne dubites de vino iræ Dei, quod spiritualem rabiem inferet, quâ compulsi, Deo convitia facient impii, indignantes scilicet inferno. Aliud *genus vini prodigiosi est, quod somnum fugat.* Iræ divinæ vinum omnem mortis somnum pellet, perpetuam vivæ mortis & mortuæ vitæ vigiliam inferet. O calamitatem! O iram!

3. Hoc torcular calcet filius Dei; ut iudex, qui impios huic torculari adscribet, flammis adjudicabit, ut suo malo experiantur, quem contempserint torcularis calcatorem, Christum scilicet.

4. Hoc est torcular iræ furoris, h. e. per Hebraismum, iræ furentis: furorem enim omnem in impios Deus effundet, verè mortis æternæ nuncium impiis, ut Prov. 16. v. 14. furoris calicem, Esa. 51. v. 22. malos terrentem, Psal. 2. v. 5.

IN INFERNO BENEFICIA convertentur in supplicia.

1815. *Moses in Egyptum missus, baculum projicit, ex eo serpentem fecit.* Exod. 4. Gratix baculum à se projiciet Dominus in iudicio & eundem in meros serpentes convertet, quibus impii in inferno compescentur, excidentur. Baculus panis impiis erit fames, Exemplo epulonis, Luc. 16. v. 24.

QUALIS IGNIS IN INFERNO.

1816. Deut. 32. v. 22. 23. *Ignis succensus est in furo-*

Ggg 2

re

re meo & ardebit usque ad inferni novissima, devorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet, congregabo super eos mala, & sagittas meas in eos dirigam.

1. *Ignis ille succensus Domini* justissima ira est, qui etiam succensus, quia ignis ab æterno præparatus, Matth. 25. v. 41. ab heri præparata fovea; heri Deo est ab omni æterno, Psal. 90. v. 4. 2. Petr. 3. v. 8. Esa. 30. v. 33.

2. *Ardebit ignis ille* usque ad inferni novissima: nihil enim ab hac irâ abscondi potest, Psal. 139. v. 7. 8. seq.

3. *Terra sunt homines terreni*, quos ignis devorabit, quia eorum finis interitus erit, Phil. 3. v. 19. Terra sunt pectora illa gravia curis terrenorum, quæ ut redemptorem non anhelarunt, ex Phil. 3. v. 20. Apoc. cap. ult. ita eundem ut vindicem experientur.

4. *Germen sunt florentes impii*, Psalm. 37. Jerem. 12. Montium fundamenta comburet ignis, ut impii montes, non possunt obrui montibus, Apoc. 6. v. 16. Mala omnia congregabit in impios, sagittis suis eos vulnerabit. O sanctissime JESU, quis mala hæc satis æstimare, quis recensere, nedum perferre aut mala aut sagittas tuas posset? Quapropter ob sanctissimum nomen tuum JESU, eidem nomini tuo æterna gratiarum *om̄spa* perfolvamus. **ITA FIAT, MI DOMINE JESU:**

Ita benè finiemus; **IN SANCTO NOMINE JESU;** in quo incepimus;

Huic

*Laus & honor soli in sempiterna
secula.*



5. PAU.